



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii  
Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Disputatio LVI. De scientia acquisita animæ Christi. S. Thom. q. 12.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

efficere, illasque reddere euidenter credibiles: at de facto finita sunt, suntque plurima obiecta naturalia ex possibilibus, quorum cognitio non spectat ad statum Christi, neque derogat eius perfectioni eas non attingere.

§. 149. Probabilis tamen est Christum habere unam speciem representantem infinita obiecta naturalia: quorum nulla ignoratio est admittenda etiam in Christo ut homine, qui ut homo cognouit in proprio genere omnia obiecta naturalia tam existentia, quam possibilis: utrum autem vno actu aut pluribus, incertus sum. Non est improbabilis vnus respondens adaequate toti habitui. Comprehendit Christus hac scientia angelos, quin illa comprehensio seipsam cognoscat in speciali: quia nullus actus naturalis angelicus cognoscit quidditatiue, aut per propriam speciem, aliquod obiectum ordinis gratiae: comprehensio autem angeli representat infinitos actus intellectus & voluntatis, quos reflexe potest exercere cognoscendo, & amando actus suos. Non dico ab angelo posse produci infinitum in actu: syncategorematicè autem certum est eum posse, quin eius potentia sit infinita, quia pendet ab infinitis speciebus impressis. Ob quod causa adaequata illorum actuum est infinita multitudine, non intentione. Ad comprehensionem autem perfectam & exactam angeli exigitur actualis cognitio omnium actuum angelo possibilem, non in vno instanti solo, sed absolute: alioquin aliquid lateret cognoscentem.

§. 150. De speciebus autem supernaturalibus de obiecto supernaturali res videtur clarior: sunt enim vniuersaliores: quia perfectiores, quia obiectum perfectius. ob quod per speciem impressam vniuersalis hypostaticae cognoscit Christus omnia mysteria gratiae: item omnes naturas eleuabiles per vniuersalem & gratiam, omnesque actus supernaturales. Vna item species potest representare ordinem vniuersalis hypostaticae, & gratiae.

§. 151. Rogas, utrum vno actu & specie possit Christus cognoscere omnia obiecta supernaturalia, sicut potest naturalia? Non. Praesto est disci-

men: quia actus cognoscens omnia naturalia non cognoscit se ipsum in specie. non quidem immediate, & in seipso: quia cum supernaturalis sit, non continetur in obiecto suo formali & primario. Hoc enim pono esse ens naturale ut sic. Nec item cognoscit se ipsum in aliquo actu naturali angelico: nullus enim talis actus quo prius cognitus potest manuducere intellectum, ut cognoscat in specie aliquod obiectum supernaturale: quia nullus actus naturalis cognoscit quidditatiue obiectum aliquod supernaturale, ut dixi §. superiori: ob quod prius cognitus non est causa ut in speciali cognoscatur à creatura aliquod obiectum supernaturale in specie: quia per species alienas & confusas illud attingit: at verò si vna cognitio supernaturalis cognosceret omnia obiecta supernaturalia, cognosceret se ipsam, & infinitas alias reflexas. item & infinitos amores, quos Christus ut homo cognoscit per infinitos actus, ut nihil ignoret; non tamen per vnum.

§. 152. Vnde deduces, quo pacto Christus cognoscat omnia, quae sunt formaliter & eminenter in Deo, quin illum comprehendat: quia nulla visio creata seipsam videt in Deo, neque infinitos alios actus tam beatificos, quam non beatificos, quibus ea visio cognoscitur in indiuiduo: ut autem sit comprehensio Dei, opus est ut cognitio sit quidditatiua Dei: item & omnium quae sunt eminenter in Deo. quod visioni beatæ repugnare probaui. At verò per scientiam infusam cognoscitur illa visio, & omnes alij actus intellectus & voluntatis possibili circa illam in indiuiduo. hac autem visio reflexa visionis cognoscitur per aliam reflexam, hac item per aliam, & sic sine fine: ob quod nullum est obiectum in singulari, quod non cognoscatur à Christo ut homine. Hac autem collectio cognitionum Christi non potest vno actu creato cognosci, quo singulae eius partes attingantur in indiuiduo; potest autem à Deo, qui ideo se comprehendit, quia se quidditatiue cognoscit, & omnia, quae in illo continentur formaliter & eminenter.

## DISPUTATIO LVI.

### De scientia acquisita animae Christi.

S. Thomas quaest. 12.

§. 1.



Cognitio acquisita per sensus experientia dicitur: est enim singularium notitia, ex quorum frequentatione & collatione gignitur in nobis prudentia & scientia experimentalis.

Ex hac sensuum perceptione gignitur species impressa obiecti sensibilis, quae per neruos sensorios traiecit in cerebrum, sedem imaginationis, siue sensus communis, aut phantasiae: ex qua specie fit sensus communis, quae dicitur phantasia. Hac vel producit aliam speciem motoriam, vel seipsa mouet intellectum agentem, ad producendam speciem spiritualem eiusdem obiecti sensibilis, cuius

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

speciei vsus pendet à phantasiae actibus. quamobrem dixit Aristoteles, *Oportet intelligentem phantasmata speculari*, id est, dependere à phantasmate, tamquam ab speculo traieciente species. Vel si non est intellectus agens, Deus producit speciem sensibili respondentem.

§. 2. Huiusmodi actus pendentes à phantasmate exercuit Christus, qui eam vim habent ad producendas intellectiones de obiecto sensibili. Et quidem ad Hebraeos 5. 8. ait Apostolus de Christo: *Didicis ex his, quae passus est, obedientiam*: id est, experimento sciuit & comperit, quid, quamque arduum sit obedire: nam obedientiam, antequam aliquid

Mm 3 pate-

s. Thom.  
q. 12.

pateretur, nouerat scientia infusa: ergo habuit aliam obedientiæ notitiam haustam ex doloribus, quos passus est.

§. 3. P. Suarez opinatur, Christum habuisse species huius scientiæ inditas in instanti suæ conceptionis. Verùm ipse non distinguit scientiam inditam animæ separatæ ab hac experimentalis, illam habuit infusam à Deo: in quam quadrant ferè omnia, quæ P. Suarez affirmat. hanc eum non habuisse infusam, testis est B. Thomas art. 2. oppositam opinionem retractans: P. Vasquez disp. 55. item qui aiunt Christum verè profecisse scientia experimentalis non modò in actibus externis, neque in ipsis actibus (sic enim etiam profecit in gratia) sed in ipsa scientia habituali. de quorum numero sunt Patres Maldonatus Lucae 2. 40. atque Toletus annotat. 86. sub medium, quamuis asserit de ea ibi Lucae non fuisse sermonem: eamque probat multis ex Patribus, præsertim Ambrosio. & quia Lira oppositum sequitur, reprehenditur à Paulo Burgeni, ut patet ibidem ex additione, & replica. Ratio est: quia Christus non habuit vllum actum eius scientiæ in instanti suæ conceptionis; ergo neque speciem.

§. 4. Dices Primò, eam scientiam esse perfectionem non repugnantem cum statu beatifico, aut munere redemptoris: ergo eam habuit in primo instanti. Nego consequentiam: eo enim argumento utimur semper, quando facti neutra pars constat aliunde: potuit autem Deus Christum ea perfectione priuare: aliunde Patres ac Sancti id ita factum esse testantur: ergo. Et quidem illa perfectio exigua admodum est, quia purè physica, quæ mille modis supplebatur per scientiam beatam & infusam: maxime in statu, in quo non poterat exerceri, voluit enim Deus in illa scientia habituali acquirenda seruari naturalem ordinem; quemadmodum & in actibus ipsis.

§. 5. Dices Secundò, habitus morales naturales infusos ab instanti suæ conceptionis, in quo non poterant exerceri: ergo & species. Nego consequentiam. Ratio à priori est, voluntas Dei, quam indagamus ex auctoritate: ubi deficit hæc, utimur alijs argumentis. Congruentia non deficit: oportuit enim Christum semper fuisse in statu temperantiæ, quæ completur his habitibus, quorum causalitas est etiam ante reale instans, quo actus exercentur: quia antecedenter in obiectum inclinant, ut ostendi disp. 16. de Anima. Quapropter ante omnem actum oportuit Christum esse facillimum ad illius exercitium, ut sine labore operaretur: spe-

cies autem impressa non est necessaria, nisi in eodem instanti reali, quo producit actus. Et quidem habitus moralis in vno instanti reali iuuat potentiam, ne sentiat difficultatem: similiter, & antecedenter illam inclinatur.

§. 6. Dices Tertio, Adamum in prima formatione eam habuisse: ergo & Christus. Nego consequentiam: quia Adamus non habuit aliam scientiam naturalem, & productus fuit corporis magnitudine vir, quem decebat infantilis simplicitas: Christus autem habuit alias scientias naturales, & per se infusas claras, productusque fuit infantili ætate: quamobrem oportuit maturiorem expectare ad scientiam acquisitam: siquidem ei non deerant alia; nec hæc tunc erat exercenda.

§. 7. Christus nullius scholas frequentauit, neque ludum puerilem, ut iocari sunt Gnoistæ, tati Christum sub ferula didicisse: sed ipsa consuetudine familiari adiutus perspicacissimo ingenio percepit hanc scientiam, vocum & characterum significationes: ex effectibus causas, cuius scientia non se porrigit ultra obiecta singulis hominibus naturalia cognitu. Cùm tamen Christus cateret perpetuo dolore propter excellentem temperaturam, & admirabilem abstinentiam, cumque assidue contempleretur: proculdubio per hanc scientiam ex vno effectu sensili discurrens ad alia, consummatissime scientias omnes naturales calluit. Ab angelo nihil didicisse eleganter probat P. Vasquez disp. 56. Lucas c. 22. 43. ait eum ab angelo confortatum, & aliqui exponunt ei sensibilibus fuisse propositam ab angelo gloriam è passione, de quo non pauca dixi ego à §. 20. disp. 55. Exponitur ex Hilario nihil aliud significari, quam fortitudinem Christi in hauriendo animo poculo passionis ab angelo fuisse laudatam.

§. 8. Finis huius scientiæ fuit tum perfectio naturæ humanæ, tum ut per illam nobis Christus esset exemplo subeundis laboribus pro Dei gloria. Nam sensus percipiunt obiecta dolorem inferentia, quæ obiecta dolent sensibus materialibus; è quo dolore & perceptione sensili deriuatur in intellectum eius apprehensio, in voluntatem dolor atque tristitia. tum Tertio, ut nobis esset exemplo atque fiducia, ut ad eam ad thronum gloriæ eius: nos enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine: qui ut imbelles nostros animos hac armatet fiducia, melius usurpare potuit illud Virgilianæ Didonis: *Non ignara malis miseris succurrere disco.*